

**De consultationum clinicarum utilitate et ratione dissertatio inauguralis / [Michele Roda].**

**Contributors**

Roda, Michele.  
Cattanei, F. de.  
Università di Pavia.

**Publication/Creation**

Pavia : P. Bizzoni, 1832.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/eg54747x>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





Digitized by the Internet Archive  
in 2017 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b29346101>

DE  
**CONSULTATIONUM CLINICARUM**  
**UTILITATE ET RATIONE**

*DISSERTATIO INAUGURALIS*

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE

ILLUSTRISSIMO FACULTATIS DIRECTORE

SPECTABILI DOMINO DECANO

AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

D. FERDINANDO DE CATTANEI

CHEMIAE PROF. V. G.

AD MEDICINAE LAUREAM

RITE CAPESENDAM

IN CELEBRATISS. I. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

*An. MDCCCXXXII*

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTEBAT

**MICHAEL RODA**

LAUDENSIS.

—o—

TICINI REGII

Ex Typ. P. Bizzoni

I. R. Universitatis Typograph.





## DE CONSULTATIONUM CLINICARUM UTILITATE ET RATIONE.

---

**S**tudii medici curriculo rite absoluto, ex legibus academicis nunc meum est munus dissertationem de re aliqua in lucem proferre, ut inde satis innotescant progressus in eodem facti, et Professorum calculo dignus sim judicatus, qui lauream expetitam demum adipiscar. Jampridem animum ad hocce adhibenti, difficilis mihi videbatur delectus thematis, cui pertractando vires essent pares, et unde simul quid utilitatis aut scientiae salutari, aut ejusdem peritis, aut languenti humano generi succederet. Post multa in memoriam redacta statui de consultationum clinicarum utilitate et ratione disserere. Spe tenor, fore ut delectus istiusmodi placeat, et ideo melius, quam potero, thema in dictum scopum enodare statim aggredior.

Secundum *Nacquart*, vocabulum *consultatio* in re medica tres comprehendit praxeos medicae actus inter se satis diversos, ut peculiari definitione singuli indicentur, et seorsim de iisdem sermo habendus sit. Reapce *consultatio* vocatur: 1. *consilium* quod medici aegris praebent indigentibus, qui hoc scopo se ipsis offerunt; 2. *interventus* duorum vel plurium medentium ad eundem aegroti lectum; 3. *deliberatio* scripta medicorum circa historiam morbi a medente ordinario exaratam. Colligitur ex titulo dissertationis mihi animo consilium esse secundam harum distinctionum tractare, idest *colloquium*, quod duo vel medentes plures ad lectum ipsum aegrotantis habent, et ideo vocabulis *consultatione clinica* jure significandum.

Consultationes clinicae generatim locum habent frequenter in praxi salutari privata ubi familiae aegrotantium, vel aegroti ipsi, vel eorum sanguine conjuncti, vel alii, commodis ac facultatibus gaudent ut relativam queant solvere mercedem alteri hyppocraticae artis perito, cuius consilio in angustiis opus sit, et hocce addere cupiant operae medentis ordinarii, vel hic ipse opportunitatem consilii istiusmodi desideret. Communis adeo in dictis circumstantiis ta-

lis est usus, ut commendatione habeatur, ferme non oporteat, si tamen excipias rationem, tempus et momenta alia, quae certe ullis indigent observationibus. Sed usus idem, ex vero laude dignissimus, non extenditur aequo ad aegrotos in Xenodochiis et Brepotrophiis, ac aliis publicis hospitiis degentes, neque ad pauperes urbium, rurum, pagorum, curis medentium stipendio conductorum fretos. Ad spartam hanc Politiae Medicae certe deberent Praefecti urbium, Moderatores communium ac institutorum publicae nec non privatae beneficentiae animum adhibere, et prudenter consulere, ne aegroti quidem miseriis obruti vel diutius morbo vexentur, vel terminationes haud prosperas attingant, vel etiam moriantur ob defectum consilii, quod posset in casibus dubiis aut periculo plenis medens alter ordinario praestare. Usus consultationum clinicarum utiliter introducendus foret aegrotantibus, qui in Xenodochiis ac publicis aliis ejusdem naturae institutis decumbunt; illis qui in scholis clinicis ad institutionem juventutis studiosae recipiuntur, et illis quoque qui domi curantur a medentibus stipendio aliquo conductis. Exinde magnum in languentem humanitatem redundaret emolumen-

tum : aegroti plures sanitati ita restitucentur breviori tempore , quam medentibus tantum ordinariis freti : alii post huma plus minusve incommoda aut etiam periculosa vitarent: ulli demum propriam servarent vitam, de qua aliter decederent. Exempla sat numerosa aegrotantium privatorum solum per clinicas consultationes e mortis faucibus abreptorum hanc veritatem confirmant.

In Xenodochiis consultationes clinicae opus essent quotiescumque ageretur de morbis quoad formam non sat manifestis , ast potius gravibus; de morbis extra morem diutinis , rationali aut empiricae quoque methodo , etsi ex praceptis artis salutaris administratae, refractariis , quin ratio eorum pertinaciae eluceat ; de morbis , quorum cursum extraordinariae comitentur graves anomaliae , difficiles ad explicandum , et communioribus auxiliis pervicaces ; in casu veneficii , aut ejusdem suspicionis; quando aegroti inopinatae adducuntur in discriminem vitae , quin causa detrimenti innotescat. Quod vero ad spar tam chirurgicam speciatim attinet , nulla operationum magni momenti foret suscipienda nisi antea peritissimus omnium Instituti chirurgorum , aut chirurgi alii primarii necessitatem

confirmant operationis exequendae. Casus etiam occurunt, ubi oportet ut medici et chirurgi simul consilium proferrent; et tunc aegroto iidem advocarentur. Gnarus sum, consultationes hujusmodi non omitti in variis Italiae nostrae Xenodochiis, et pariter foris. Xenodochiuui maximum Mediolani inter cetera utilissimum offert exemplum, quod utinam et alia ubique sequentur! Velle tamen colloquia istiusmodi benefica frequentius locum haberent quam mos est, et ratione ea, qua symbolam ad rem melius conferre possint.

Casibus per normas convenientes statutis, ubi clinicae consultationes in Xenodochiis et aliis naturae ejusdem locis haud forent negligendae; medicus vel chirurgus, cuius praestantiae aegrotus consilio egens est fretus, deberet tempori casum Directori pii instituti referre, et constanter ab ipso petere, ut secundum normas jussa emitat, quibus die et hora magis idonea ad lectum in relatu medentis ordinarii indicatum consultatio absolvatur inter individua quae pro necessitate ac circumstantiis diversis opus esse videntur. Director hospitii absque mora largiretur dispositiones, ex quibus vel medicus, vel chirurgus, vel utriusque, vel plures

simul certissime in dictum scopum conveniant loco statuto , ac relativam deliberationem scriptam et eorum manu signatam ei deinde exhibeant. Secundum normas hac de re constitutas, quandam vero oporteret ut solverent poenam medentes, qui aut consultationes necessarias non petunt, aut nimis cunctantur , aut ad ipsas votati non obediunt, aut ratione alia mandatis non satisfaciunt. Refert prudenter abusus omnes prae- cavere , si volumus , institutionem ex vero beneficam succedere.

Superius proposui , consultationes clinicas quoque necessarias esse penes aegrotantes egenos , qui domi curantur a medicis et chirurgis stipendio aliquo conductis. In urbibus non foret id arduum ad obtainendum. Eadem ratione, qua consultationes in publicis hospitiis locum habere possunt , penes aegrotantes cives miseriis obrutos eaedem praescribendae. Artis salutaris ministri , titulo quocumque ad eorum curas designati, deberent in casu morbi gravioris, cursus ambigi , remediis communibus pertinacis , anomaliis periculosis comitati , etc. necessitatem consultationis Directori aut Administratori , a quo pendent, referre , et ab ipso simul petere ut idoneum peritum ad rem delegare velit, diem

et horam constituens , qua colloquium succederet. Officium expetiti consilii semper demandandum scientiae peritissimis in Xenodochio vel foras pariter stipendio conductis , et quorum muneribus hoc quoque accenseri oporteret , ut gratuito consultationibus hisce operam suam conferant. Quod ad incolas pagorum attinet , medici et chirurgi stipendio ibidem conducti deberent in casibus morborum supra memoratis necessitatem consultationis referre ad territorii R. Prefectum ( *R. Commissario Distrettuale* ) , qui statim R. Medicum et Chirurgum territorii ipsius ( *Medico-Chirugo Distrettuale* ) et ipsi subjectum mitteret ad aegrotum consilii egen-tem , die atque hora in hunc scopum statuta , et prius medenti ordinario communicata. Hinc tamen elucet , ad rem istiusmodi determinan-dam , oportere ut Medico-Chirurgis , qui *Di-strettuali* audiunt , stipendum tandem consti-tueretur congruum , ut muneri huic *gratis* per totum ipsis territorium assignatum satisfacere possent. Sic tam in urbibus quam foras sanitati ac vitae pauperum aegrotantium melius prospiceretur; et medici atque chirurgi stipendio con-ducti muneribus propriis majori sollicitudine et multo prudentius satisfacerent.

Transitum nunc vertam ad rationem , qua generatim consultationes clinicae sunt perficiendae.

Consultationes clinicas desiderant aut petunt medentes ordinarii ipsi , vel aegroti , vel eorum amici , vel sanguine iisdem conjuncti . Ut autem vera utilitas exinde redundet in aegrotos , oportet , ait *Nacquart* , ut ipsae locum habeant non in maximis angustiis , seu quando morbus adeo processit , ut in nullum rei usum auxilia omnia adhiberentur , uti plerumque contingit , et generalis reapse est mos ; verum in casibus omnibus , cum diagnosis morbi est obscura , difficilis ad statuendum ; ejusdem cursus abnormis , anomaliis comitatus ; et ambiguae se offerrunt curae indicationes , et demum quotiescumque medens ordinarius in aliquo dictorum casuum versatur . Unicuique patet curantem debere in circumstantiis hujusmodi consultationem desiderare ; nam ipse melius quibuscumque aliis tunc scit , quod nam emolumentum aegrotis afferre potest sincerum ac prudens cum altero aut aliis scientiae peritis clinicum colloquium . Dantur equidem casus , ubi vel aegroti , vel alii desiderium consultationis medenti ordinario patefaciunt tempori , aut etiam quin vera ejusdem

adsit necessitas; sed plerumque vel circumstan-  
tias ignorant, in quibus adjumenti foret, vel  
tantum eam proponunt, cum morbus tales jam  
fecerit progressus, ut non amplius valeant ar-  
tis salutaris auxilia ipsum emendare. Declaratio  
igitur necessitatis colloquii clinici est medentis  
ordinarii, non aliorum, munus.

Opportunitate consultationis statuta, dies et  
hora, qua locum habebit, in publicis ac pri-  
vatis hospitiis, in scholis clinicis, et penes ae-  
grotos pauperes, curis medentium stipendio  
conductorum fretos, constituetur generatim mo-  
do jam supra memorato. In praxi tamen pri-  
vata, et in ulla etiam casibus nuper recensis,  
medens aegroti ordinarius debet diei et horae  
determinationem accipere a consulente, excepto  
quod hic junior esset, et reverentiae caussa  
nolle eas determinare: ubi consulentis sunt  
plures, seniori id conceditur, et constitutio ab  
ipso discedit.

Congregatis penes aegrotum consultatoribus,  
medens ordinarius exponit aliis morbi historiam.  
Indicat imprimis sexum, aetatem, temperamen-  
tum, habitum corporis, vitae genus, conditio-  
nem, statum aegrotantis, morbos quos in vita  
sua ipse est passus, eorum curam et termina-

tiones. Dein refert omnia quae eidem sunt nota, et veram morbi historiam constituunt, sincerus hunc describens a prima invasione usque ad statum praesentem. Ordinem, quo symptoma diversa in scenam apparuerunt; aut dein vicissim haec illis succedebant, aut semetipsa alternabant, accurate declarat. Momenta causalia, unde credit morbum originem duxisse; diagnosini formae constitutam; prognosim circa ejus terminationem conceptam manifestat. Interim loco et tempori indicat auxilia chirurgica, therapeutica ac diaetetica, quibus utebatur, rationes semper subjungens ipsorum usus, nec formas atque doses, quibus eadem administrabat, consultoribus occultat. Pariter sincerus declarat, quos methodus curae adhibita effectus producebat, vel salutares, vel noxios; cur, quomodo et quali successu ipsam mutabat, atque auxilia haec aliis substituebat. Consulentes, vel consultatus, relatione absoluta, medentem ordinarium interrogant de iis, quae ex eadem innotescunt, aut ipse silentio praeterivit; aut sat bene non significavit.

Historia morbi exposita, et animadversionibus cujuscumque naturae jam factis, quae circa ipsam ad rem illustrandam oportere videbantur;

consultores aegrotum accedunt , si ab ipso distabant , aut separati erant ; et ex more eum examinant , interrogant , et notionem habere student rerum omnium , quas cognoscere debent , ut jure meritoque ex relatu medentis ordinarii , et examine status praesentis aegroti ipsius inferre possint , quae jam fuerit morbi essentia , forma generalis ac specialis , character et indoles ; quae fuerint cursus morbi consecutiones : hinc constituunt , quae nam haec omnia in praesentiarum reapse sint . Examine hocce perfecto , iterum , si prudens consilium est , ab aegroto discedunt , et seorsim vel approbant , quae circa essentiam ac formam morbi medens ordinarius statuerat , et laudent ex integro aut partim methodum curae hactenus adhibitam ; vel de hisce omnibus illam proferunt sententiam , quae scientiae praceptoris melius congruat . Sic rebus a medente ordinario relatis , et illis examine aegri cognitis recte perpensis , prudenter statuendum de quo in praesentiarum agatur , et quae auxilia contra morbum in usum trahenda sunt , ubi quae medens ordinarius ipse jam adhibet ad scopum non sufficient , vel mutare juvet . Pariter in easibus nonnullis refert constituere , quae progrediendo facere oportebit , et

cautiones ac diligentias relate ad usum medicamentum et regimen diaeteticum necessarias.

Junior medicus aut chirurgus deberet primus omnium suam proferre sententiam et alii progrediendo ex ordine aetatis minus proiectae. Ubi consultores sunt plures, nec omnes eidem opinioni accedunt, tam relate ad morbi essentiam, quam ad medicaminum delectum, major opinantium numerus quaestionem persolvit: ubi vota sint paria, seniores dijudicant. In consultationibus mixtis, junior chirurgus deberet primus suam opinionem declarare, dein chirurgi alii, si adsint, ex ordine aetatis pariter suam dicere; postea medicus junior loqueretur, ac deinde seniores. Per placet norma = *incipiat junior medicus, concludat senior.* = Quando consultores duo duntaxat sunt, nec inter ipsos de facto convenit; semper tertium audire oportet, qui controversiam dirimeret. Quandoque tamen non aetas magis proiecta seniores constituit, sed alia huic influunt momenta: sic ordo primatum determinari etiam potest ex antiquiori die consultorum vel acceptationis in Collegium, Academiam, Facultatem Medicam aut Chirurgicam, vel occupationis in Universitate Scientiarum, in Xenodochio, hospitio altero etc.

Munera enim, quibus consultores funguntur, ac tituli iisdem collati, totidem sunt momenta, ad quae refert animum adhibere in senioribus declarandis.

Saepius advocari solent clinicis consultationibus medici et chirurgi aetatis proiectae, quam juniores. Quaestio hoc loci oriri posset, num jure id fiat, nec ne. Juniores generatim progressus in theoriis scientiae melius agnoscunt; sed carent adhuc tactu pratico, qui longo tantum exercitio acquiritur. Relate ad Seniores, praeterquamquod, ait *Nacquart*, eorum magna aestimatio successibus prosperis numerosis suffulta, probabilius tutatur spem in ipsis positam; egent medici in consultationem vocati tactu eo magis exquisito et consuetudine observandi eo magis solida, quod, cum aegrotum debeant non nisi temporis momento videre, ipsorum judicium promptius ac securius sit, equidem oportet. Prorsus quaestione hujusmodi tamen neglecta, solum de re eadem dicam cum clariss. *Van Swieten*: *longaevo salutaris artis usu claris medicis honor concedatur et reverentia; et illi supercilium pronant, nec juniorum medicorum consilia spernent.*

Generatim non convenit consultationes ab-

solvere circa lectum aegroti vel coram hoc. Ejus praesentia efficere potest, quominus medens ordinarius sinceram referat morbi historiam, et circumstantias omnes ad hanc spectantes, vel quominus consulentes aperte eum interrogent de iis omnibus, quae ad rectum judicium pronunciandum scire necesse est. Oporteret, ut medens ordinarius suam conficeret narrationem non in cubiculo aegroti, sed alio, aut saltem paullum longe ab eodem; ut post absolutum primum colloquium, consultores aegrum accederent, uti superius dixi, et examine ejus perfecto, iterum recederent quo prius historiam morbi audibant, ut illic hujus phoenomena discutiant, diagnosim illustrent, indicaciones curae patefaciant, et auxilia idonea in usum trahenda libere proponant. Discussione hacce absoluta et conclusionibus relativis clare pronunciatis, medentes denuo eunt ad aegrotum, cui senior brevi exponit rerum essentiam et conclusiones circa id quod agere refert. Postea medens ordinarius praescribit medicamina et auxilia alia proposita: aut in casibus, ubi necessarium sit, conclusiones colloquii aliquis consultorum, caeteris praesentibus, scribit, et formulam omnes manu propria signant.

Munus consultorum est accedere ad aegrotum , cui advocati sunt , hora statuta , ne medens ordinarius , aut aliquis eorundem illic diutius alios expectet , et tempus in nullum rei usum terat. Exacta diligentia in hocce semper ab omnibus adhibenda ; etenim quaevis mora est verax legum urbanitatis praevaricatio. Inter laudes , quibus *Halford* celebrem extollebat doctorem *Baillie*, haec recensetur = tanta ei erat morum elegantia , ut is saepe in magnas sibi incongruentias offenderet ob diligentem observationem conventorum cum infimis etiam artis salutaris peritis circa temporis momentum , quo penes aegrotum consultationis causa congregari deberent = Taedium patitur ille consultorum , qui alterum vel alios cunctantes diu apud aegrotum expectat: ideo ex normis civilitatis nemo ipsorum debet aliis afferre taedium quod pati et ipse nollet, et aliorum patientia facile abuti.

In consultationibus invidiae , inimicitiis et suspicioni nunquam indulgendum. Urbani, aequi, oportet , sint et respectum maximum adhibeant consulentes erga medicum aut chirurgum qui primus aegroti curam suscepit. Speciatim seniores proponunt equidem necessarias tam eidem quam aegroto quaestiones ; ast quin tamen col-

legam excipient a privilegio ulteriores inquisitiones faciendi , ut sibi ipsi satisfaciat , vel ad casum illustrandum. Nihilosecius consulentes non debent ob nimium respectum approbare quod contra morbum non faciat , aut silentio praeterire animadversiones de morbi ejusdem essentia et methodo curae adhibitae necessarias. In morbis diutinis medens ordinarius videtur aegrorum lamentationibus assuescere ; vel facile indulget noxiis praesumptionibus, in quas iterum haud sponte incidit ; vel etiam surrogat in locum medicaminum vere indicatorum auxilia alia , quae ipse injuria nimis aestimat , et a recta medendi semita deflectit. Consulentes haec omnia debent medenti ordinario patefacere ac medicamina proponere quae in praesentiarum ducunt efficaciora illis ab eo hactenus administratis. Consultatio enim clinica non tantum eo prospicit ut fiducia aegri et ejus sanguine conjunctorum in medente ordinario confirmetur , verum etiam ut cura efficacior morbo objiciatur. Reapse levamen , quo aeger saepe gaudet diebus consequentibus , non debetur prorsus et tantum morali impressioni , quam in ipsum plurium medentium simul conventorum edidit praesentia.

In casibus dubiis aut periculosis medens or-

dinarius , qui consultationi adversatur , ex sententia doctoris *Ryan* superbus est aut inhumanus , et forsitan utroque modo reprehensione dignus. Jure aegrotus gaudet advocandi sibi quot artis salutaris peritos optat. Generatim consultationes libenter evitantur in parvis urbibus atque in pagis , ubi medentes quavis ratione contendunt ad aestimationem , ad sortem meliorem et ad quotidianum alimentum sibi comparandum ; ac quorum emulationes , controversiae et disputationes in manifestas contumelias et implacabiles inimicitias saepius terminantur. Exinde nullum deberet nocumentum certe in aegrotum redundare. Mirum est , inter salutaris artis peritos dissidentias ac lites hujusmodi locum frequentius habere , quam inter individua conditionis alterius cujuscumque. Utinam tandem et aegrotantibus et decori Scientiae omnium nobilissimae cessarent!

Refert , ne consultationes clinicae locum inter numerosos habeant medentes: quoniam tunc dissidium de theoriis et differentia scholarum majorem suum edunt influxum , et quisque consultorum propriam obstinatius tuetur opinionem. Utilitas omnis , quae ex consultatione in aegrotum redundare potest , sane ex colloquio duo-

rum, trium vel quatuor ad summum, aequa ac ex interventu decem aut duodecim ipsorum obtinetur. *Ryan* merito arbitratur, magnum consultorum numerum partim dicto emolumento obstat, et multum damni certissimi aegroto afferre. Is experientia innixus declarat, se nunquam observasse emolumento aegris numerosas esse consultationes. Hae reapse nihil aliud sunt nisi quaedam socialis contentio, in qua vera aegrotantium utilitas, quae unicum esse deberet finem, ad quem animadvertisendum foret, quasi oblivione conteritur. Temporibus antiquis odium medicum erat adeo vehemens, ut disputationes quandoque arma sumerent: in praesens periculum non adest, theoricos hodiernos castra ponere ut proprias tueantur opiniones; sed tamen bellum gerunt sesquipedalibus verbis, si non armis, nec minori livore, quam ipsorum majores.

Ad consultationes clinicas pertinet etiam cura aegroti a pluribus medicis aut chirurgis simul directa. Hic esset locus quaestionis dirimentiae, num vere praestantia plurium medentium aegroto emolumentum afferat. Id sorte principibus datur, inquit *Nacquart*; ast probabilius, relate ad rem hujusmodi, nemo invidia

eos prosequeretur. Nam, procedit ipse, quin in medium proferamus exemplum *Vespasiani* qui moriens dicebat = *multitudo medicorum obruit me* = manifestum est, ut verbis utar doctoris *Doublet*, tribuendo duodecim consultoribus ingenium maximum ac qualitates omnes necessarias, ut quisque ipsorum summa valeat capacitate, fieri non posse, ut concordi animo ipsi studeant eidem mederi aegroto, qui nequit recte curari nisi unica ac simplici methodo, in silentio delecta, duce observatione, tempori modificata et absque mora atque obstaculis adhibita. Ubi numerosi ad eundem lectum medentes convenient, semper dissident relate ad selectum auxiliorum quae in usum trahenda sunt: quod hi malunt facere, illi condemnant, et versa vice: interim saepissime, dum auxiliis efficacibus maxime est opus, nihil fit, et morbus ideo ingravescit, aut aeger etiam moritur. Nemo, ex sua sententia, tam pessime curatur quam ille curis plurium medentium fretus.

Casus in praxi occurruunt, ubi praeter consultationem specialem desideratur etiam opus consulentis illi ordinarii medici aut chirurgi associare, quando hujus praestantia haud interrupta minus aegroto satifaciat, vel in suspicio-

nem etiam non congruae curae eum conjiciat. Artis peritus , cuius tunc consilium requiritur , bis vel ter posset aegrotum invisere ; ast prudenter abstinet in posterum a quovis interventu non expetito et haud necessario. Proponat quae deinde ac progrediendo facienda sunt, nec mordacibus censuris reprehendat quae jam antea medens ordinarius excogitabat vel egit ; immo haec quoque in speciem approbet , quamvis reapse non ex scientiae praeceptis acta : post enim factum, uti dicunt, nullum consilium; ast quoque non haereat sincerus ac libere suam proferre sententiam de statu praesenti , et curram illam proponere quam existimat nunc melius congruere nec non in posterum , quin de hocce ne hilo quidem a veraci suo consilio deflectat. Aestimationem , quam de ipso aegrotus et ejus sanguine conjuncti habent, potius adaugeat, quam imminuat; sed eodem tempore prospiciat omnibus, quae aegroto ipsi emolumento esse possunt.

Pariter haud raro contingit , ut medens aliquis properanter advocetur , vel anxietate familliae , vel amicorum sollicitudine, ad invisendum aegrotum , jam regulariter praestantiae fretum medentis alterius, qui de hocce nihil quicquam

noverat, et ideo visitationi non adest. In casibus istiusmodi methodus curae nequaquam mutanda foret eatenus consultatio regularis cum medente ad curam ipsam jam constituto ex more locum non habeat; excepto quod tarditas nimia occursum praepediat consultorum, vel symptomata morbi adeo sint gravia, ut dilatio auxilii perferti nequeat, quin aegrotus in vitae discrimen adducatur. Sub circumstantiis hisce medens consultatus operam suam praestat, debito respectu erga medentem ordinarium adhibito, et illa tamen conditione, ut consultatio cum hocce locum habeat citius quam fieri possit, vel saltem scripto eum instruat de iis omnibus, quae agere existimavit, rationem subjungens etiam, qua ita nec aliter fecerit.

Haec sunt quae de consultationum clinicarum utilitate et ratione dicere animo consilium erat. Num proposito recte satisfecerim, lectoris judicium sit, quem humaniter virium debilitati ignoscat, praecor.

FINIS.

## THESES DEFENDENDAE.

*I.*

*Nequaquam hactenus constat, venena per sanguinis circuitum ferri ad organon, in quod eadem agunt; nec talem translationem ad ipsorum actionem esse necessariam.*

*II.*

*Haud denegandum, neonatos quoque asphyxiae obnoxios esse.*

*III.*

*Foetus necessariam sibi haematosim parat.*

*IV.*

*Effectus venenosi acetatis et sub-acetatis plumbi sane oriuntur ex horum salium in carbonatem mutatione.*

*V.*

*Studium anatomes maximi ponderis est et momenti ad progressus in scientia medica faciendos.*

*VI.*

*Symptomata, quorum complexus angina pectoris audit, certe originem ducunt ab irritativa vel etiam phlogistica partis cuiusdam medullae spinalis et respondentium gangliorum nervi magni sympathici conditione.*



